

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110

Tractatus theologicus de doctrina christiana s. de rudementis christ. fidei -
Ettenheim-Münster 99

Cartier, Gallus

[S.l.], [18. Jahrh.]

Caput 2dum

[urn:nbn:de:bsz:31-110904](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-110904)

64
per Charitatem verè tendimus in Deum, quatenus
in se bonus est, seu propter infinitam suam ama-
bilitatem.

134. Q. 3^o An Charitas sit omnium virtutum excel-
lentissima?

R. Affirmative, et constat ex 1. Cor. 13. Nunc
manent, Fides, Spes et Charitas, major autem ho-
rum est Charitas. Et ad Colos. 3. Super omnia
Charitatem habete, quod est vinculum perfec-
tionis. Quippe habet objectum et motivum
omnium perfectissimum, attingitque Deum,
modo perfectissimo, nempe propter se ipsum.

135. Q. 4^o Quinam sint actus proprii Charitatis,
et elicti, seu ab eà immediate provenientes?

R. Sunt Amor, Benevolentia, Affectus uni-
onis, Complacentia de perfectionibus Divinis,
Desiderium ejus gloria, &c. Odium et Dolor
circa malum bono Divino contrarium, peccatum
scilicet.

136. Q. 5^o Quomodo conservari aut etiam au-
geri possit in homine Charitas?

R. Si observet illud Propheta Regi Csal.
38. Declina à malo et fac bonum. Debet ita-
que homo Declinare et fugere omnia peccata,
et amplecti omnes virtutes, et pia exercere opera.
à malo Declinabit igitur, si omnia præcepta
tum Divina et Decalogò contenta, tum Ecclē-
siae diligenter servaverit. Gaiet autem bo-
num, si propter Sacramentorum frequentatis-
simum, se in virtutibus, non solum Theologicis,
quibus omnium virtutum Summa compre-
henditur, et quas hactenus exposuimus, sed
etiam in, quas vocant Cardinales, item in
bonis operibus, præsertim in misericordia, ex-
eruerit, et quantum valebit, ad octo beati-
tudines, et Evangelica Consilia acciperit, &c.
De quibus omnibus sequentibus Capitibus et
paraphis agere animus est.

Caput 2^o dnm.

137. De Dei præceptis in Decalogò contentis.
Per Decalogum intelliguntur Decem præcep-
ta à Deo Moysi, et per ipsum Judæis in tabulis la-

pideis tradita, quarum prima continet tria
praecepta ad dilectionem Dei pertinentia:
Secunda reliquis septem praeceptis ad dilectionem
proximi spectantibus absolvitur. Haec praecepta
postmodum Christus, et Apostoli Christianis om-
nibus commendarunt. atque hoc ordine re-
censentur, Exod. c. 20. Ubi Deus sic dixit: Ego
sum Dominus Deus tuus, et postea legitur Decalog.

- 1^{um} Non habebis Deos alienos coram me. Non
facies tibi Sculptile, ut adores idud.
- 2^{um} Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.
- 3^{um} Memento, ut diem Sabbati sanc-
tifies.
- 4^{um} Honora Patrem tuum, et Ma-
trem tuam, ut sis longevus Super terram, quam
Dominus Deus tuus dabit tibi.
- 5^{um} Non
occides.
- 6^{um} Non moechaberis.
- 7^{um} Non
furtum facies.
- 8^{um} Non loqueris contra
proximum tuum falsum testimonium.
- 9^{um} Non concupisces uxorem proximi
tui.
- 10^{um} Non domum, non agrum,
non servum, non ancillam, non bovem,
non asinum, et universa, quae illius sunt.

Haec sunt id. praecepta Decalogi, quae lin-
guis paragraphis exponere animus est.
§. I^{um}

De primo praecepto.

Q. 1^o Quid hoc primum praeceptum pra-
cipiat, aut prohibeat? 138.

R. Hujus praecepti duo sunt partes, et
proinde duo continentur, quorum unum
jubendi, alterum prohibendi vim habet:
ea etiam est illorum verborum senten-
tia: Ne verum Deum coles; alienis diis cul-
trum non exhibebis.

Præterea igitur parte homini præcipitur
ut Deo adorationem exhibeat, seu ut supre-
mum illius in usata omnia dominium per
fidem agnoscat, illi se per charitatem sub-

66. jiciat, et in eo tanquam omnium potentissimò
ac maximò beneficio, spem suam collocat. Injun-
gitur itaque trium virtutum Theologicarum,
Fidei, Spei, et Caritatis exercitium.

Posteriori hujus præcepti parte, vetatur,
ne unquam alteri divinum cultum exhibea-
mus. Damnat itaque hujus præcepti pars poste-
rior omnem cultum idololatrium, et Supersti-
tiosum, observationesque Superstitiosas, om-
nem quoque artis magica vel divinotoria-
rum usum.

Peccant igitur contra hanc præcepti par-
tem 1.º Qui contra fidem peccant, ut Ethnici,
qui sufficienter Evangelium docentur. 2.º
Hæretici, qui volunt ea credere, quæ Sancta Mater
Ecclesia credenda proponit. 3.º Homines, qui
Sonnis, auguriis, ceterisque vanissimis rebus cre-
dunt. 4.º Qui peccant in Spem, ut qui modo
sunt in, qui de sua salute desperant; qui non
confidunt divina bonitati; qui divitiis, aut
aliis animi, corporis, aut fortune bonis tantum
inmittuntur. 5.º Denique, qui in charitatem
peccant, ut sunt in, quibus amor creature do-
minatur, quique statutis temporibus, Speciales
illius actus non eliciunt.

139. Q. 2.º An non hoc præcepto vetatur cultus
Imaginum, ipsi more Catholicò exhiberi soli-
tus?

R. Minimè, quia non ad instar paga-
norum Sulptile, ligna, aut lapides tanquam
Deos et suprema numina adoramus; sed
solum hoc primo præcepto prohibetur; sed
mente devotà Christum, et Sanctos in imagi-
nibus representatos veneramus, et colimus.

S. 2.º Jus

De Secundo Præcepto.

140. Q. Quid nobis prohibeat secundum præcep-
tum?

R. Nobis vetat abusum divini nominis, et
inreverentiam, quæ committitur à pejusis,

blasphemis, et ab iis, qui per Deum, Santos, vel
sacra tamen jurant, contra illud: Nolite ju-
rare, sicut homo vester: est, est: non, non, Matth.
5. Fraterea exigit, ut summam Divino numi-
ni exhibeamus reverentiam, juramenta hve-
nus, vota Deo facta non violamus; Denique ut
verba S. Scripturae non profanemus.

§. 3^{tius}

De tertio precepto.

Q. 1^o quid prescribat tertium preceptum? 141.

R. vult ut diem illum, qui honori et cultui
Divino dicatus est, pijs operibus transigamus. Dies
iste in veteri testamento fuit Sabbatum, in
novis vero est dies Solis, seu Dominica in memo-
riam Resurrectionis Christi, qua hac die con-
tigit, ab Apostolis, ut docet Catechismus roma-
nus, constituta.

Q. 2^o. In quo proprie consistat ista diei
Dominicae Sanctificatio? 142.

R. 1^o ut animus curis temporalibus vacuus
sit, et expeditus fiat ad Divina meditanda,
ac qua sunt spiritualia, unice curanda. 2^o
ut Divina frequentemus officia, maxime vero,
ut audiamus publicum Ecclesiae sacrum, Con-
cioni intervinamus, &c.

Q. 3^o Quinam peccent contra hoc precep- 143.
tum?

R. Qui mechanicis, seu servilibus operi-
bus vacant; qui sacrum Missae Sacrificium
negligunt; qui lusibus et convotationi-
bus, aliisque indecentibus, et inhonestis
negotiis hanc Sanctam diem profanant.

Q. 4^o An praeter Dominicam diem Eccl- 144.
siae aliquarum aliarum dierum Sanctifica-
tionem Christianis injungere potuerit?

R. affirmativè. Quia, cum nec Christus
nec ratio determinaverint in specie tempus,
in quo homo teneatur vacare Divinis, facien-
das hujusmodi determinationis potestas data
est Reipublicae Christianae, quando Christus.

eam Matth. 18. si alligatus est: Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelis. 2^o. Ecclesia à primis suis innumabilis Christianos ad diem Dominica solemnitatem adstrinxit; non enim Divinâ lege dies illa cultui Divino assignata fuit, sed Ecclesiastica tantum. Ergo et alios dies potest eidem cultui consecrare. 3^o. Fideles nusquam reluctati sunt, imò geperunt semper morem Ecclesiae antiquae, quae praeter diem Dominicae Sanctificationem, aliorum etiam dierum solemnitatem praecipit, Inventionis v.g. Nativitatis Domini, Epiphaniae, Mortis Christi, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, &c. illi enim dies tanquam sanctissimi à veteribus Patribus non raro recensentur. 4^o. Primorum saeculorum fideles, ex Episcoporum praescripto, coluerunt dies, quibus Martyres extremam diem clauserant, ut videre est apud Eusebium, qui Hist. Eccl. lib. 4. c. 15. refert Epistolam, quam de celebranda Polycarpi morte Smyrnaensis Ecclesia conscripsit.

S. 4^{us}

De quarto Praecepto.

145. Q. 1^o Quid proponat hoc praecipitum?
R. Docentur filii, ut parentibus, reverentiam, et obedientiam, ac amorem tum internum tum externum exhibeant, et ne quâcumque ratione sive verbis sive signis eos contemnant, offendant, vel contristant.
146. Q. 2^o Quinam parentum nomine veniant?
R. 1^o Saepius ii, ex quibus carnaliter generati sumus. 2^o. Ecclesia Pastores. 3^o. Ji, quibus imperium, aut Magistratus, aut potestas ad publicum regimen commissa sunt. 4^o. Ji, quorum cura, Fidei, probitati, sapientiaque traditi sumus, ut sunt Tutores, Curatores, Paedagogi, et Magistri.

69.

5^o Senes, praesertim si sint probata vita, Varium licet mandatum Dealogi de omni parentum genere intelligatur, de illis tamen, ut jam dictum est, praecipue lex hic loquitur ex quibus geniti sumus: Sunt enim pinguis Catechismus Romanus: immortalis Dei quasi quaedam simulacra, in usque ortus nostri imaginem intuemur; ab his vita nobis data est, his Deus unus est, ut nobis animum, mentemque impertiret; ab his ad Sacramenta deducti, ad Religionem, ad humanum cultum, civilemque instituti, ad morum integritatem et Sanctitatem eruditi sumus.

Igitur Honor, quem parentibus exhibere jubemur, positus est 1^o in honorifico de his sensu, et externo eorum cultu. Unde peccant filii, quibus etiam interius parentes sunt despectui, qui mortem illorum optant, de eorum subsecuta gaudent, qui maledicunt eis, qui ipsos verberant, irident, de eis embersant, p. 2^o Quod nati debeant operam ferre parentibus tum in his, quae ad salutem aeternam, tum ad corpoream spectant. Honor enim non solum sumitur pro cultu, sed etiam pro cura ejus, cui honor exhibendus est. Hinc peccant filii qui parentibus indigentibus, vim possunt, non subveniunt. 3^o Honor ille positus est in obedientia, quam in rebus magni momenti illis debemus. Inde colligitur peccare lethaliter filios, qui in gravibus negotiis parentes non consulunt, et a fortiori, qui mandata eorum executioni mandare detraunt, ut sunt, qui a noxiis Societatibus, colloca-tionibus periculosis, jubentibus parentibus, temperare nolunt.

Attamen filii parentibus, aut aliis superioribus obedire nec tenentur nec debent in his, quae Evangelicis sive praecipis, sive

70. consiliis adversantur. Tunc enim servanda est
Apostolorum Beati Petri regula Act. 5. Oportet
obedire Deo, magis, quam hominibus.

147. Q. 3^o Quae sit merces filiorum in parentes
honori promissa?

Rp. Merces illa temporalis, quae hoc quarto
praeccepto continetur, non omnibus absolute
promittitur; sed iis tantum, quibus ad salu-
tem expedierit: scilicet plurimi / s. Scriptu-
ra teste: rapiuntur, ne malitia mutet in-
telectum eorum, aut ne impendentibus ca-
lamitatibus opprimantur. Neque enim
longioris vite nomine ipsa tantum vite pro-
bitas intelligitur, sed etiam otium, quies,
involuntaria, quibus tranquille vivitur: quae
quidem omnia interminatam calamitatibus
proximam vitam maxime superant.

§. 5^{us}

De quinto Praeccepto.

148. Q. Quid hoc praecceptum vetet, ac requirat?

Rp. Non solum externam prohibet eadem
et vim omnem, quae corpus et vitam tum
propriam tum proximi laedit, a privato ho-
mine, quaecumque denum ratione illatam;
sed etiam iram, odium, rancorem, indigna-
tionem, vindictam injuriam, et quovis in-
ternos affectus ad proximi lesionem propen-
sos amputat.

Requirit vero animi mansuetudinem,
humanitatem, clementiam, comitatem, be-
nevolentiam, ac injuriarum oblivionem,
verbo, ut, prout ait Catechismus Romanus,
concordi amicitia et charitate proximum
nostrum, ipsos etiam inimicos prosequa-
mur.

§. 6^{us}

De Sexto praeccepto.

149. Q. 1^o Quid hoc praeccepto prohibeatur?

Rp. eo prohiberi omnem actum externum.

41.
venerum. 2^o. Actus internos veneros, qua-
li est delectatio morosa, cui nempe quis delibera-
te inhæret: Huc reducuntur lectis turpium,
comœdia lasciva, cantilena turpes et ad las-
civiam trahentis, vestitus ad libidinem pro-
vocans, &c.

Q. 2^o. Quid nos movere debeat, ut à libidi- 150.
ne nos contineamus?

R. Hac, scilicet 1^o. Inia Deus, cui omni-
nò obedire debemus, id à nobis exigit. 2^o.
Inia templum Spiritus Sancti, quòd sumus
nos, libidine coinquinatur. 3^o. Inia fa-
mam, honorem, existimationem, consien-
tia tranquillitatem, amittimus. 4^o. Inia
anima nostra pro modicâ et momentaneâ
voluptate venditur diabolo, meretur ater-
nam ignis gehennam, et jacturam incurrit
aeternæ felicitatis.

§. 7^{us}

De septimo præcepto.

Q. 1^o. Quid hoc præcepto prohibeatur? 151.

R. Prohiberi omnem injuriam proximo
inferendam in bonis fortuna, sive denarium
per furtum, sive per rapinam, sive per re-
tentionem rei alienæ, sive per usuras, sive
per lucra injusta, sive per dolum.

Q. 2^o. Quid è contrariò hui præcepto in- 152.
jungatur?

R. Ut in omni contractu, negotio, com-
mercio inviolatè servetur æquitas, ponatur
æqualitas, ac justum pretium nunquam
excedatur.

§. 8^{us}

De tribus ultimis præ-
ceptis 8^o videlicet 9^o et 10^o

41
Q. 1^o. Quid octavo præcepto prohibeatur? 153.

R. Prohiberi falsum, dolumque testi-
monium in quemquam proferre, aut etiam
illius famam ledere; ac præterea omne

72.

mendacium, omnesque lingua abusus adversus proximum; adeo ut etiam contra hoc preceptum peccent Surriones, Detractoris, adulatoris, p.

154. Q. 2.º. Quid per duo ultima precepta prohibeatur?

R. Ut non tantum se ipsa haud noceamus proximo, sed ne voluntate quidam aut concupiscentia. Vult igitur hoc utrumque preceptum, ut sinceritatem, benevolentiam, ac Christianam charitatem erga omnes exhibeamus.

Vides jam, quod haec decem precepta ad haec duo reducuntur, Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et proximum tuum sicut te ipsum. In hac igitur gemina charitate tota lex pendet et propheta.

§. 9.º. mus

De Praeceptis Ecclesiae.

155.

Praecepta Ecclesiae reduci possunt ad quartum Decalogi preceptum, ubi significatur, quod Ecclesiae Pastoribus, adeoque Ecclesiae ipsi omnem reverentiam, observantiam, et obedientiam, exhibere debeamus; et merito quidem, ut quae Universalis Mater nostra sit, et quae, ut h. p. part. 1. c. 1. §. 3. ostendimus in rebus fidem et mores, adeoque et disciplinam spectantibus summa polleat auctoritate; unde et eius precepta servare et adimplere tenemur.

Quingue autem precepta Ecclesiae solent recenseri. 1.º. Statutos Ecclesiae festos dies celebrato. 2.º. dum Sacrorum Missae officium diebus festis reverenter audito. 3.º. ieiunia certis diebus temporibusque indita observato. 4.º. Beccata tua Sacerdoti proprio annis singulis

confitetur; et Sacrosanctam Eucharistiam ^{73.}
ad minimum semel in anno, idque circa festum
Pasche sumito. ^{5^{ta} Diebus ab Ecclesia}
interdictis nuptias non celebrato.

Q. 1^o. Quod per praeceptum primum et ^{155.}
secundum nobis observandum propona-
tur?

R. Omnia ea his duobus praeceptis nobis
observanda proponi, quae in tertio Decalogi
praecepto jubentur. ubi vid. S. 3. num. 141. et
seq.

Q. 2^o. Quod tertium praeceptum à nobis ^{157.}
exigat?

R. Ut in Quadragesimâ, ac quatuor an-
ni temporibus, necnon festorum quorundam
Solemnium pridie diebus, quos Majores
nostri, eoque in eisdem temporibus noctu per-
vigatorum, vigilias appellarunt, jejune-
mus.

Q. 3^o. In quo consistat jejunium Eccl- ^{158.}
siasticum?

R. In qualitate et quantitate ciborum.
1^o in qualitate, nempe ut observetur abs-
tinentia à carnibus; etiam, de jure com-
muni, in Quadragesimâ à lacticiis, et
eis, quae sementinam ex carnibus origi-
nem trahunt, uti sunt ova. 2^o In
quantitate, ut nempe unica tantum
refectio observetur plena in die, si ta-
men, ut possit pro collatione modicum
quid sumi. 3^o Ut tempus reficiendi
non preveniatur sine causa; quod qui-
dem olim erat post Vesperas, hodiernum ta-
men circa meridiem fixum est. Ceterum
justâ communem sententiam hoc prae-
ceptum non obligat ante 21. aetatis annum.

Q. 4^o. Quod jubet quartum praeceptum? ^{159.}

R. Ut quilibet fidelis semel in anno

74. Sacerdoti proprio, id est, Barchohus, vel cui-
libet alii approbato Sacerdoti, De propria
Sacerdotis licentiâ tamen, peccata sua
confiteatur, et ad Sacram Synaxim
circa festum Bascha accedat, p.

160. Q. 5.º Quid denique 5.º prohibeatur?
R. Ne quis vetitis ab Ecclesiâ tempo-
ribus publicè et cum Solemnitate nupti-
as celebret.

161. Q. 6.º Quinam sint dies, quibus nup-
tie prohibentur?
R. Dies prohibiti sunt tempora Adventus,
et Quadragesima, quibus tamen temporibus
non nisi chorea, pompa, et apparatus ve-
tantur: Sponsalia enim, et contractum
matrimoniale his diebus sine Solemnita-
te, ut dictum à nobis est, inire licitum est.

Caput 3.º

162. De Sanctissimis Ecclesiæ Sacramentis.
Constat, quòd pius Sacramentorum usus
ad Christianam perfectionem multum et
per omnia conducit, de quibus propterea
hic disserere jure; breviter tamen, eò quòd
hæc materia in Theologiâ, fusè tractanda
veniat. Undè hic ea solum adducere pla-
cet, quæ pro hic et nunc sicut omnino
necessaria videbuntur.

§. primus

Quid, et quot sint Sacramenta?

163. Q. 1.º Quid sit Sacramentum?
R. Est signum visibile gratiæ invisibi-
lis ad Sanctificationem hominis divi-
nitus institutum. Dicitur signum
visibile; siquidem Sacramenta confi-
ciuntur per aliquam externam ceremo-